

**V. IANVARII.
DE S. EDVARDO CONFESSORE
ANGLIÆ REGE.
VITA AVCTORE SANCTO EALREDO.**

CAPVT I.

**S. Eduardi parentes, ortus, regni
& sanctitatis prognostica.**

[1] **Gloriosi ac Deo dilecti Regis Eduardi vitam litteris tradituri, ex verbis beatissimi Petri Apostolorum Principis sumamus exordium; [Etiam diuites sancti.] qui Centurionis vocationem admirans, ait: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. [Act. 10. 34. & 35.] In omni enim gente, ordine, gradu & dignitate nouit Dominus qui sunt eius, & miseretur cui voluerit, & misericordiam præstat in quem sibi placuerit. Neque enim ex suiipsius natura vel paupertas præstat, vel adimunt diuitiæ sanctitatem: nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit; nec claudit libertas, nec reserat seruitus Paradisum. Primus Patriarcha S. Abraham & diues scribitur & perfectus, cui fides admirabilis & obedientia imitabilis in rerum omnium copia prædicatur. Ioseph dominus Ægypti constitutus a Rege, vniuerso orbi præbuit castitatis exemplum. Sanctus Iob qualis in diuitiis fuerit, earum probauit ademptio, quem morbus corporis, tentatio vxoris, amicorum exprobratio, spectabili patientia reddidit clariorem. Rex S. David, quo nemo ditior, sed nemo & sanctior; quo nullus sublimior, sed humilior nullus; & inter thesauros innumeros sepelitur, & inter Dei amicos ceteris gratior computatur. Nemo proinde miretur, si noster Eduardus & Rex dicatur & sanctus, quem cernimus & in diuitiis**

egenum, & in deliciis sobrium, in purpura humilem, & sub corona aurea mundi contemptorem.

[2] Cum enim Rex Ethelredus ex filia Comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum, cognomento Ferreum-latus, ex Regina autem Emma Alfredum: Beatus Eduardus intra viscera materna conclusus praefertur vtrique, agente eo qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae, [Eduardi parentes.] qui dominatur in regno hominum, & cuicumque voluerit, dat illud. Fit enim coram Rege magnus Procerum & Episcoporum conuentus, & quia iam futurae cladis indicia saeva processerant, agitur inter eos de regni statu tractatus. Alij vero Edmundum, ob inuictissimum robur corporis, aestimant praefendum; alij, ob virtutem Nortmannorum, Alfredum promuendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium praescius, prioris breuissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum vniuersorum vota conuertit. Vtero adhuc clauditur, & in Regem puer eligitur: non natus, natis praefertur: & quem necdum terra susceperat, terrae dominus designatur; & laeti Proceres sacramentum fidelitatis illi iurant, qui vtrum nasceretur ignorant.

[3] Paulo itaque post natiuitatem S. Eduardi g irruentibus in Angliam barbaris, [Defertur in Nortmanniam.] & maximam insulae portionem caede incendioque vastantibus, Regina cum filiis in Nortmanniam transposita est. Viuebat in auita domo inter pueros puer, immunis tamen a vitiis quibus aetas illa solet implicari. Castus erat corpore, [Ibi sancte viuit.] sermone rarus, simplex actu, & purus affectu. Frequentare Ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solemniis, visitandis monasteriis operam date, & quos sanctiores sciebat, sibi monachos in amicitiam copulare.

[4] Sæuiebat interim gladius hostilis in Anglia; cædibus & rapinis omnia replebantur: vbique luctus, [Dani Angliam vastant.] clamor & desolatio. Incenduntur ecclesiæ, monasteria deuastantur, Sacerdotes a suis sedibus fugati, in locis desertis communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos vir venerabilis Brithvaldus Vintoniensis Episcopus cœnobium Glastoniense mœrens ac tristis ingressus, orationibus vacabat & psalmis. Qui cum aliquando pro regni plebisque liberatione preces lacrymasque profunderet, [S. Brithvaldus orans, videt Eduardum inungi a S. Petro.] quasi in hæc verba prorumpens, ait: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo auertis faciem tuam? obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Sanctos tuos occiderunt, altaria destruxerunt, & non est qui redimat, neque qui saluum faciat. Scio Domine, scio, quia omnia quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti: sed numquid in æternum proiiciet Deus, & non apponet vt complacitior sit adhuc? Eritne, Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium? aut in æternum tuus in nos mucro desæuiet, & percuties vsque ad internecionem? Inter preces tandem & lacrymas fatigatum sopor suavis excepit; videtque per somnium, S. Petrum in eminentiori loco constitutum, & ante eum præclari vultus in forma decenti, regalibus insigniis amictum Eduardum. Quem cum propriis manibus Apostolus consecrasset & vnxisset in Regem, monita salutis adiecit: præcipueque cælibem vitam comendans, quot esset annis regnaturus, aperuit.

[5] Obstupefactus Præsul tanti miraculi nouitate, petit sibi a Sancto huius visionis mysterium reuelari. De statu insuper regni, & de instantis periculi fine Apostolicum exegit oraculum. Tunc placido vultu intuitus intuentem se, Domini, inquit, o Præsul, est regnum, & ipse dominabitur in filiis hominum. Ipse transfert regna & mutat imperia, & propter peccata populi regnare facit hypocritam. [S. Petrus futura ei reuelat.] Peccatum peccauit populus tuus

Domino, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliuiscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim, cum dormieris cum patribus tuis, visitabit Dominus populum suum, & faciet Dominus redemptionem plebis suæ. Eliget enim sibi virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas, qui me opitulante regnum adeptus Anglorum, Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo, gratus hominibus, terribilis hostibus, amabilis ciuibus, vtilis Ecclesiæ, laudabilemque vitam sancto fine concludet. Quæ omnia in S. Eduardo completa, rei exitus comprobauit. Cum autem Episcopus de posteritate Eduardi quæreret, respondit S. Petrus: Regnum Anglorum, [Regnum Anglorum regnum Dei.] regnum Dei est. Post istum providebit Regem ad placitum suum.

CAPVT II.

Eduardus fit Rex: virtutibus floret.

[6] Stabat adhuc spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius, externisque malis accessit ciuilis discordia, adeo vt quis cui mentis suæ secreta committeret, nesciretur. Plena erat proditoribus insula: nusquam tuta fides, nusquam sine suspicione amor, sermo sine simulatione. [Canutus fit Rex.] Tandem eousque proditio ciuilis & astutia processit hostilis, vt defuncto Rege Ethelredo, magna pars insulae legitimis heredibus abdicatis, a Canuto, qui regnum inuaserat, manus darent: peremptoque inuictissimo Rege Edmundo, [Edmundus & Alfredus occiduntur.] etiam filios eius, adhuc in cunis agentes, Barbaris mitterent occidendos. Alfredus demum Eduardi frater in Angliam transuectus, inaudita crudelitate ab hostibus ciuibusque perimitur.

[7] [Eduardus vouet visitaturum se S. Petri sepulchrum regno recepto:] Tunc Eduardus omni humano destitutus

auxilio, exul patriæ, regni, & honoris vivebat: impiorum insidias timebat, & ne a suis proderetur, vel ab hostibus ad mortem emeretur, plurimum formidabat. Inuento autem consilio salutari, Deo prosternitur, talia prosequendo: Ecce, inquit, Domine, non est mihi auxilium in me, & necessarij mei recesserunt a me: amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Pater meus post multos labores rebus humanis excessit; fratres meos crudelitas proditorum absorbit: nepotes in exilium acti sunt: mater æmuli nostri nuptiis tradita est. Ita solus relictus sum, & quærunt animam meam. Sed tibi Domine derelictus sum pauper, pupillo tu eris adiutor. Tu quondam Edvvinum, morti expositum, mirabili modo & vitæ reseruasti & regno. Tu illud Angliæ decus, f S. Osvaldū ex exule Regem s̄actum, per signum Crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, & custodieris me, & reduxeris me in regnum patris mei, eris tu mihi semper in Deum, & S. Petrus Apostolus in patronum: cuius sacratissimas reliquias in vrbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturum me promitto. Ex hinc enim factus fide robustior, spe alacrior, expectans expectauit Dominum.

[8] Canuto autem Rege rebus humanis exempto, filiis eius immatura morte præreptis, Angli Danico iugo liberati, Eduardum in Regem elegerunt, & cum maximo honore consecrari & inungi fecerunt. [fit Rex.] Tunc Sacerdotes sapientia & sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant, agebat Clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo. Videbatur etiam terra fecundior, aer salubrior, maris vnda pacatior. Reges enim & Principes pro tanta rerum mutatione admiratione perculsi, cum tanto Rege fœdus inire, amicitias iungere, pacem componere grauisi sunt. [Icit fœdus cum variis Principibus.] Sola tamen Dacia adhuc spirans & anhelans cædes, Anglorum interitum minabatur. In his omnibus vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed hanc sibi

viuendi formam proponens, suis se domesticis præbebat æqualem, Sacerdotibus humilem, plebi gratum, compatiens miseris, & largum egenis. Nulla apud eum personarum acceptio: sed iudicabat in iustitia pauperes, & arguebat in æquitate pro mansuetis terræ; eratque pater orphanorum, & iudex viduarum. [Omni virtute floret.] Si quidquam petebatur, præbebat; si accipiebatur, tacebat. Nullus vmquam eum vidit aut inflatum superbia, aut ira efferatum, aut gula dehonestatum. Supra humanum enim modum pecuniarum contemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hilarior.

[9] Recumbente aliquando gratia quiescendi Rege in lectulo, Camerarius accessit ad thecam, in qua æs regium seruabatur, & reposito intus quod volebat, & illam claudere oblitus, foras egressus est. [Insignis pecuniæ contemptor.] Animaduertit hoc quidam, & accedens ad thecam, pecuniam non modicam in sinum recondit, & abscedit. Reuersus denuo, Rege inspectante, facinus iteravit. Quod cum tertio attentasset, cernens Rex in spiritu thesaurorum adesse custodem, ait: Importune agis, o homo: si mihi credis, tolle quod habes, & fuge; quoniam si venerit Hugolinus, (hoc enim Cubicularij nomen erat) nec vnum tibi nummum relinquet. Fugit ille, & vix pedem extulerat: & ecce minister Regis rediens, & thesaurum ablatum reperiens, timore & tremore concutitur: angustiam cordis & furorem mentis clamor & suspiria prodiderunt. Surrexit Rex, & quasi nesciens quid acciderit, perturbationis huius causam inquit: quam cum didicisset, ait: Tace, forte ille qui cepit, plus nobis indiguit. habeat sibi; nobis sufficit quod remansit.

Annotata

Canutus, sive Cnuto Danus, Suani filius, Ethelredo mortuo, partis Angliæ Rex fuit; ceteri Edmundo adhæsere:

acre cum hoc bellum, inde pax & amicitia. Edmundum nocte S. Andreae eodem anno Eadricus, siue Edricus, Dux Merciorum, proditorie interimi curavit: quam ob causam ipse a Canuto, cuius gratiam parricidio aucupabatur, trucidatus est.

Eadvinum, (vel Eadvium, VVigorniensi Eadmundum) & Eadvardum, vel Eduardum, Edmundi filios, ad Regem Sueonum Canutus perimendos misit. Hic scelus auersatus, ad Salomonem Regem Hungariae nutriendos ablegavit. Prior isthic obiit: alter Agatham vxorem duxit, suscepitque liberos, de quibus alibi.

Alfredus mortuo Canuto, cum magno Normannorum comitatu in Angliam venit an. MXXXVI. Sed Godvini perfidia plerique barbare euiscerati, aliterque trucidati sunt: Alfredo oculi eruti: tum in Elyense cœnobium ignominiose relegatus, ibi paullo post obiit. Laudator Emmæ, cap.1. citatus, tradit, eum miraculis a morte illustratum, & Martyrem appellat.

Anno MXVIII. Canutus Emmam, Ethelredi viduam a Richardo fratre petiit vxorem, & obtinuit. Ita scilicet Normannus nepotum suorum Eduardi & Ælfredi patrocinium abdicavit, vt res suas noua hac affinitate firmaret.

Ita Daniam alij quoque appellant scriptores, quod a Dacis vel Dahis Scythiae populis ducere originem Danos existiment. Videndus Ioannes Isacius Pontanus in Chorographica Daniae descriptione.

CAPVT III.

Virginitatem cum vxore seruat.
Hostis mortem diuinitus cognoscit.

[10] Proceres autem terræ de successione solliciti, Regem de vxore ducenda conveniunt. Stupet Rex, thesauro metuens suo, qui in fictili vase reconditus, facile poterat calore dissolui. Sed quid ageret? Si obstinatus resisteret, timebat ne propositi sui proderetur dulce secretum: [Inuitus vxorem ducit Editham.] si suadentibus præberet assensum, naufragium pudicitiae formidabat. Tandem importune insistentibus cedere tutius ratus, huiusmodi verbis pudicitiam suam Domino commendabat: Iesu bone, tua quondam misericordia tres pueros inter flammæ Chaldaicas illæsos servavit. Per te Ioseph, relicto pallio in manibus meretricis, cum titulo castitatis euasit. Admirabilis Susannæ constantia tua virtute de impudicis presbyteris triumphavit. Sanctæ Iudith castitas ab Holoferne nec lædi potuit, nec tentari. Ecce ego servus & filius ancillæ tuæ, qualiscumque dilector tuus & vnicæ Matris tuæ: succurre mihi Domine, quatenus sic maritale suscipiam sacramentum, vt pudicitiae periculum non incurram. Rege igitur Procerum voluntati consensum præbente, Godvini filiam duxit in vxorem. Erat autem Godvinus vir magnarum opum, sed astutiæ singularis, Regum regnique proditor: qui doctus fallere, & quælibet dissimulare consuetus, facile populum ad cuiuslibet factionis inclinabat assensum. Sed sicut spina rosam, genuit Godvinus Editham.

[Edithæ virtutes.] Hanc dilecto suo præparavit Christus Eduardo, inspirans ei ab ipsa infantia castitatis amorem, odium vitiorum, virtutis affectum. Legere, aut operari manibus, otium fugiendo consuevit lasciviam vitare, & colloquia iuuenum declinare. Convenientibus igitur in vnum, Rex & Regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium, quam Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa coniunx mente, non carne; ille maritus mente, non opere. Perseuerat inter eos sine actu coniugali coniugalis affectus, & sine defloratione virginitatis, [Servant virginitatem.] castæ dilectionis

amplexus. [3. Reg, 1.] Diligitur ille, sed non corrumpitur; diligitur illa, nec tangitur: & quasi noua quædam Abisag Regem calefacit amore, sed non dissoluit libidine; mulcet obsequiis, sed desideriiis non emollit.

[11] [Cognoscit diuinitus mortem hostis sui.] Quadam namque die Pentecostes, cum Rex diuinis interesset mysteriis, hora eleuationis Corporis Christi subito Rex vultu hilarior, & erectior oculis, in risum modicum, seruata tamen regia grauitate, dissoluitur. Mirari, qui aderant, cœperunt; nec sine caussa, cum præter consuetudinem id ei accidisse sciebant. Peractis autem Missarum solemniiis, causam risus instanter adstantes sibi exponi petunt. Ille, vt erat mirae simplicitatis, simpliciter quærentibus simpliciter omnia confitetur, dicens: Conuenit Danis cum Rege suo antiquum facinus iterare, & quam nobis propitia diuinitas largita est, infestare quietem. In percussione quidem nostra, qua castigans castigauit nos Dominus, ignorantes Dei iustitiam, & suam extollentes virtutem, dixerunt: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Quia vero Deus patribus nostris iratus, Danorum nos tradidit potestati, suis id viribus tribuentes, facile hoc ipsum & nunc fieri posse arbitrabantur; nescientes quia qui percutit, ipse & sanat; & qui mortificat, ipse & viuificat; & qui ducit ad inferos, ipse & reducit. Igitur Rex Daciæ, coacto in vnum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus naues parari præcepit. Iam naues velis, & vela ventis fuerant committenda: & Rex iniquus ob nimiam superbiam quasi semetipsum non sustinens, dum de scapha in nauem conscendere vellet, pede lapso inter vtramque, in mare corruit, & statim abyssus vallauit eum, & pelagus cooperuit caput eius: sicque morte sua vtrumque populum, Danorum scilicet & Anglorum, a peccato pariter & periculo liberauit. Et spero in Domino Deo meo, & in dulcissima Matre eius, quod temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Hæc sunt, quæ Christo reuelante cognoui, & vidi, & risi, & gausus

sum: risum enim mihi fecit Dominus, & quicumque audierit, corridebit mihi. Notantur tempus & hora: mittuntur nuntij in Daciam; & omnia, quæ beatissimo Regi cælitus nuntiata fuerant, vera & eadem hora accidisse reperta sunt.

Annotata

Matthæus VWestmonast. anno MXLIV. Rex Eadvardus in patrocinium regni sui, filiam Godvini potentissimi Consulis, nomine Æditham, vxorem duxit. Idem scribit Hundintoniensis. Malmesburiensis ait, pactum fuisse Eduardum, priusquam Rex fieret, Godvino amicitiam, filiis honores, filicæ matrimonium.

Idem Edithæ elogium recitat Ingulphus Crowlandensis, qui eius pietatem, castitatem, pulchritudinem, modestiam, doctrinam, aliasque virtutes prædicans, tandem, in nullo, inquit, patris aut fratrum barbariem sapiens.

Hæc non memorant Danorum Annales. Constat Magnum Noruegiæ & Daniæ Regem voluisse Angliam inuadere, vt ad an. MXLV. habet VWestmonast. Sed Suano sibi bellum indicente, coactum desistere. Suano, ne instructa classe Angliam inuaderet, tributum obtulisse S. Eduardum, scribit Adamus lib. 3. c. 12.

CAPVT IV.

Votum eius de Romana peregrinatione relaxat Papa.

[12] [Romam ire cupit, vt votum soluat.] Svccedentibus itaque prosperis, Rex voti sui nequaquam oblitus, recogitans quanta sibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum, sublimavit humilem, inglorium coronavit, parat reddere vota sua, parat sumptus, parat donaria. Vocatis

autem regni Proceribus, habuit cum eis de statu regni, vel de sua peregrinatione sermonem, dicens: Non excidit nobis, quomodo irruentibus in hereditatem nostram Barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Aliis namque interfectis, aliis fugatis, aliis iugo ignominiosæ seruitutis oppressis, nihil fere honoris, nihil gloriæ nostro generi reliquerunt. Tandem defuncto patre meo, peremptis fratribus, actis in exilium nepotibus, & cum hostibus nostris in omnibus fortuna faueret, mihi profecto nihil spei superesse videbatur. Ego vero contra spem credens, & Domini mei misericordiæ me totum dedens, peregrinationem meam ad sanctorum Apostolorum limina voui, & deinceps diuinæ me protectioni dispositionique commisi. Ille autem respexit in orationem meam, & non spreuit precem meam, & abstulit opprobrium meum, & restituit me in regnum patris mei. Insuper cumulatam diuitiis auxit gloria, donis cælestibus illustrauit. Ipse sine sanguine rebelles subegit, hostes subuertit, & omnia nostra amabili quadam pace composuit. Absit vt tot & tantis eius beneficiis inueniamur ingrati: quin potius de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in iustitia & veritate, faciamusque quod ait Propheta: Vouete & reddite Domino Deo vestro. [Psal. 75. 12.] Decernite ergo mecum, quomodo me peregrinante regnum subsistat Anglorum: qua lege, qua pace, qua iustitia, quo iudice omnia disponantur: quis castra, vrbes, priuata & publica negotia procuret. Erit autem vnus omnium custos & protector Deus, & pacem quam dedit, ipse seruabit, nobiscum proficiscens, & nobiscum remanens: qui & vos custodiat, & me reducat.

[13] Tunc omnes in communi vociferantes ad Regem, se non deserendos, se non exponendos gladiis, [Obsistunt Proceres; consulit Pontificem.] patriam hostibus non prodendam, nec pro vno, vt putabatur, bono tot admittenda pericula allegabant. Tunc Rex eorum vocibus

& precibus vrgeri se sentiens, diu in animo fluctuabat: quia & voto supersedere, periculosum; & tantorum precibus fletibusque non cedere, inhumanum arbitrabatur. Tandem peregrinationem differens, expectabat donec Apostolico fultus consilio, aut votum redimeret, aut impleret.

[14] Demum Pontifex summus, consideratis præmissis, & diligenter discussis, Regi epistolam subscripta continentem transmisit: Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio suo Eduardo Anglorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem & Deo gratam cognouimus, gratias agimus ei, per quem Reges regnant, & Principes iusta decernunt. Sed quia prope est Dominus in omni loco omnibus inuocantibus eum in veritate, & sancti Apostoli cum suo capite coniuncti, vnus spiritus sunt, & pias preces æqualiter audiunt; & quia constat periclitari Anglicam regionem ex tua discessione, qui freno iustitiæ seditiosos eius motus cohibes; ex auctoritate Dei & sanctorum Apostolorum absoluimus te a peccato illius voti, pro quo Dei offensam times, & ab omnibus negligentis & iniquitatibus tuis, ea potestate vsi, quam Dominus in S. Petro concessit nobis, dicens: Quæcumque solueris super terram, soluta erunt & in cælis. [Matth. 16. 19.] Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, vt expensas, quas ad iter istud paraueras, [Hic in voto dispensat: alia iniungit pia opera.] pauperibus eroges, & cœnobium Monachorum in honore S. Petri Apostolorum principis aut nouum constituas, aut vetustum emendes & augeas, & sufficientiam victualium Fratibus de tuis redditibus constituas: quatenus dum illi assidue inibi Deum laudauerint, & Sanctis augeatur gloria, & tibi indulgentia. Cui loco quidquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, vt ratum sit, Apostolica auctoritate præcipimus, & vt semper habitatio Monachorum sit.

[15.] [Dispensatio a S. Petro reuelatur cuidam Eremitæ.] Responsalibus autem Regis & litteris Pontificis oraculum cæleste concurrat. Erat enim in Anglia vir quidam Deo dilectus & hominibus, qui in specu subterraneo multis annis inclusus, suorum erat meritorum stipendiis iam vicinus. Huic Petrus Apostolus in visione noctis assistens, ait: Rex Eduardus pro voto, quo se, cum adhuc exularet, adstrinxerat, pro regni etiam pace, pauperumque necessitate preceque sollicitus, Romanam Ecclesiam de omnibus creditur consulendam. Nouerit ergo, se Papali auctoritate ab hac obligatione solutum, & de cœnobio ad mei nominis honorem construendo a summo Pontifice suscepisse mandatum. Incunctanter itaque litteris Apostolicis fidem habeat, præceptis obediat, consilii acquiescat. A me enim egressus est sermo, quem sibi quondam patronum elegit, viæ comitem, gratiæ largitorem. Est autem mihi locus in Occidentali parte Londoniæ a me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus consecraui, mea nobilitaui præsentia, diuinis etiam miraculis illustraui: Thorneia nomen est loci, qui quondam ob peccata populi, Barbarorum traditus potestati, pauperrimus ex diuite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc me Rex præcipiente in habitaculum Monachorum suscipiat reparandum, sublimandum ædificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Ibi erigenda est scala, per quam descendentes & ascendentes Angeli, preces & vota hominum perferant, & deferant gratiam. His dictis, lux cum loquente disparuit. Scripsit itaque senex omnia audita, & Regi direxit. Eadem autem hora lecto Papæ rescripto, beati senis apices recitantur. Tunc Rex lætus & alacris, pecuniam quam ad peregrinationem parauerat, pauperibus distribuit, & monasterium ædificauit.

Annotata

Hic est S. Leo IX. qui ab anno MXLIX. vsque ad MLIV. sedit. Eius vitam dabimus XIX. Aprilis.

A spinis Thorney dictus is locus, ab occiduo situ & monasterio VWestminster. Egregie locum describit Guil. Cambdenus in Trinobantibus.

CAPVT VI.

VWestmonasterio collata a Papa priuilegia.

[19] Hæc cum Sanctus Eduardus relatione ac scriptis veterum didicisset, ad monasterium illud ædificiis, possessionibus, & dignitatibus altius extollendum exarsit animus eius, & pro priuilegiis illius loci, ceterisque caussis nuntios Romam transmisit, talem epistolam Papæ deferentes: Summo vniuersalis Ecclesiæ patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex, debitam & subiunctionem & obedientiam. [Eduardi ad Nicolaum II. Papam litteræ.] Glorificamus Deum, quia curam habet suæ electæ Ecclesiæ, quoniam in loco boni prædecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter iustum iudicamus, apud vos, velut ad solidam petram, acuere & probare omnes bonas actiones nostras, & vestram notitiam atque societatem in bono habere; quatenus eas donationes & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renouetis & augeatis nobis, videlicet vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiæ & pœnitentiæ, propter votum quod voueram ire Romam, & in remissionem omnium peccatorum meorum, construere cænobium Monachorum in honore Apostoli Petri, ratum faciatis, & priuilegia possessionum & dignitatum eiusdem loci confirmetis, renouetis, & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo & confirmo donationes & consuetudines pecuniarum, quas habet S. Petrus in Anglia: [Pecunia Petri in Anglia.] & ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, vt oretis pro me, & pro pace regni mei, & continuam ac

solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliæ coram corporibus sanctorum Apostolorum.

[20] [Nicolai responsum.] Rescripsit autem ei Papa in hunc modum: Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornauit & decorauit, erga B. Petrum Apostolorum principem, & nobiscum habere dilectionem, & omnibus Apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestræ nobilitati transmittimus, & per eas societatem sanctorum Apostolorum, & nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, & Rex super omnia solus, vt ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris, & fratres nos ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem obsequij nostri vobis in suo regno reassignet, quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, vt ipse Deus subiiciat hostes & inimicos, qui contra vos voluerint insurgere: & confirmet vos in paterno solio, & propria hereditate, ac B. Petrus sit vobis custos & adiutor in omni tribulatione. Renouamus ergo, & confirmamus, ac augemus vobis priuilegia vestra, scilicet vt absolutus sitis ab illo voto quod timebatis, & ab omnibus aliis peccatis & iniquitatibus vestris [indulgentia plenaria cum consuetis conditionibus] auctoritate illius, qui me, licet indignum, suæ sanctæ præesse voluit Ecclesiæ.

[21] [Priuilegia VWestmonasterij confirmat.] Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ construendum & meliorandum suscepistis, quoniam, vt fertur, primam antiquitus consecrationem in honorem S. Petri accepit,

cuius, licet indigni, Vicarij sumus, & quia Regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei & sanctorum Apostolorum, atque huius Romanæ Sedis & nostra concedimus, permittimus, & solidissime confirmamus, vt amplius in perpetuum Regiæ constitutionis locus sit atque repositorium Regalium insignium, & habitatio perpetua Monachorum, habeantque potestatem secundum regulam S. Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse præelegerit.

[22] [Illud eximit a iurisdictione Episcopi.] Absoluimus etiam eum locum ab omni seruitio & dominatione Episcopali, vt nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu Abbatis & Monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum & cœmeterium mortuorum circa se, absque Episcopali vel cuiuslibet respectu vel exactione: & omnia, quæ ad libertatem & exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari & promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui Reges, seu quicumque alij homines, vos quoque & vestri Barones ad eundem locum contulistis, & chartas, quæ ex eis factæ sunt, diuina & nostra auctoritate roboramus, & ratas ac stabiles esse decernimus; & infractores earum, vel inuasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, damnamus.

[Regem facit Aduocatum & Tutorem Ecclesiarum Angliæ.] Vobis vero & posteris vestris Regibus committimus aduocationem & tuitionem eiusdem loci, & omnium totius Angliæ Ecclesiarum, vt vice nostra cum consilio Episcoporum & Abbatum constituatis vbique quæ iusta sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem

ab eo, cuius regnum & imperium non desinet nec minuetur in sæculum.

Annotata

Nicolaus II. an. MLVIII. Pontifex electus, sed anno demum sequenti consecratus; obiit an. MLXI.

Is fuit Stephanus X. aliis IX. dictus, qui anno MLVIII. Florentiæ XXIX. Martij obiit; quo die fusius de eo agemus.

De hoc tributo Apostolicæ Sedi pendi solito agit plurimis locis Baronius in Annalibus. Malmesburiensis de gestis Regum Anglorum lib. 1. cap. 2. de Ethelwvphi Regis Occidentalium Saxonum testamento agens, semper ad finem sæculi, inquit, in omnis suæ hæreditatis decima hida pauperem vestiri & cibari præcepit; omnique anno trecentas auri marcas Romam mitti, quarum B. Petro centum, & centum B. Paulo ad luminaria, centum Apostolico ad donaria expenderentur. Ac paullo ante de eodem piissimo Rege ita scribit: Post triumphatos scilicet hostes ad Dei cultum conversus, decimam omnium hidarum intra regnum suum Christi famulis concessit, liberam ab omnibus functionibus, absolutam ab omnibus inquietudinibus. Sed quantula est hæc eius gloria? Romam composito regno abiit, ibique tributum, quod Anglia hodieque pensitat, S. Petro obtulit coram IV. Leone Papa, qui etiam antea Elfredum filium eius ad se missum, honorifice susceperat, & Regem inunxerat. Ibi ergo integro moratus anno, scholam Anglorum, quæ (vt fertur) ab Offa Rege Merciorum primitus instituta, proximo anno conflagrauerat, reparavit egregie.

CAPVT VII.

**Subditos leuat tributis Eduardus:
varios miraculose curat.**

[23] Sanctus autem Eduardus a tributum illud grauissimum, [Eduardus remittit tributum graue subditis.] quod tempore patris sui classi Danicæ pendebatur, & postmodum fisco Regio inferebatur, Regia liberalitate remisit, & ab hoc onere importabili in perpetuum Angliam absoluit. Cum enim collecta illa pecunia ante illum delata esset, diabolus super cumulum sedentem & ludentem vidit, & ne amplius exigeretur, præcepit.

[24] Cum in palatio iuxta ecclesiam S. Petri Rex aliquando moraretur, superuenit quidam vir miserabilis, Hibernicus genere, pedis vtriusque priuatus officio: nerui enim in poplite contracti ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhæserant, immersique carnibus pedum articuli, a lumbis eius & deorsum corpus omne peruerterant. Porrectis ad terram manibus, & scamnis suppositis repebat, & factus sibimetipsi grauis, trahebat se post se. Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec mouebit te mea tanta calamitas? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, Apostolorum limina repens (vt cernis) visitavi, [Pauperem ægrum ad templum humeris defert, sicque sanitati restituit.] & sanitatem necdum promerui. Quam tamen mihi Apostolorum Princeps non negauit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi nouit in omnibus esse deuotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi Regem adire, vt me suo sacro subuectum dorso ad ecclesiam eius, quæ palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Hæc vbi nuntiata sunt Regi, gratias agit Deo; & citatus mox æger accessit. Rex vero, vt spiritualis ille asinus fortis, accubans in terminis, supposuit humeros suos ad portandum. [Gen. 49. 14.] Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squallidis manibus, brachiisque squamosis Regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli,

alij a paupere Regem delusum iocabantur, alij iusti simplicitatem, fatuitatem iudicabant. Cum itaque Rex paullulum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus soluuntur. Distendit homo crura, poplite iam flexibili, & sanie cum sanguine profluente vestis Regia ornatur potius, quam fœdatur. Iam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes vlcerum deponendum. Ille vero memor præcepti quod susceperat, Sirenarum cantus obturata aure pertransiit, ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac S. Petro resignat, incolumemque dimisit. Suscepto autem a Rege itineris viatico, acturus gratias Deo & S. Petro Romam profectus est.

[25] [Christus Regi benedicit.] In monasterio autem B. Petri ante altare sanctæ Trinitatis, Missarum solemnii sanctus Rex vice quadam cum Comite Leofrico assistebat. Et ecce speciosus ille forma præ filiis hominum Christus Iesus in ara consistens, oculis vtriusque visibiliter corporalis apparuit, sacraque dextera super Regem extensa, signum sanctæ Crucis eum benedicendo depinxit. At Rex, demisso capite, divinæ maiestatis adorabat præsentiam. Comes vero quid in animo Regis ageretur ignorans, volensque Regem tantæ visionis esse participem, cœpit velle ad ipsum vsque procedere. Verum Rex quid in mente Comitis voluebatur, intelligens, Sta, inquit, Leofrice, sta; quod vides, video & ego. Post Missam vero dixit Rex ad Comitem: Per eius, quem vidimus, maiestatem, mi Leofrice, te obtestor, ne quoadusque vixerimus sermo iste proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem nostram ob fauorem vulgi pulset elatio, vel fidem deroget dictis infidelium æmulatio.

[26] Sub faucibus autem quasi glandes mulieri cuidam succreuerant, [Eduardus ægram mulierem abluendo

sanat.] quæ totam faciem deformi tumore fœdantes, putrefactis sub cute humoribus sanguinem in saniem verterant: inde nati vermes odorem teterrimum exhalabant. Iubetur tandem in somnis adire palatium, & ex Regis manibus sperare remedium: quibus si lota, si tacta, si signata foret, meritis eius reciperet sanitatem. Cum autem venisset ad Regem, & oraculum exposuisset, ille nec sordes cavit, nec fœtorem exhorruit; sed loca tumentia manibus contrectans, & aqua lavans, signum sanctæ Crucis impressit. Et subito rupta cute, cum sanie vermes ebulliunt, resedit tumor, & dolor omnis abscessit.

[27] [Varij cæci aqua, qua manus lauerat, vel attactu eius, visum recipiunt.] Cæcus quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti Regis meritis se adepturum, si lympa, qua manus ablueret, ipse faciem perfudisset. Cumque id Cubiculario, & ille Regi retulisset, obstupuit ille plurimum indignatus, illusum phantasmatis hominem, nihil tale de peccatore sperandum; Apostolicæ id esse virtutis, nec fidem somniis adhibendam asseruit. Aqua manus lauit, & ad ecclesiam processit. Cubicularius autem cæco receptam in pelui aquam illam tradit, cum qua oculos & faciem lavans, visum confestim percipere meruit. Cuius quidam Lincolnensis cæcitate percussus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum eius faciem & oculos lavans, mox tenebris diuturnis optata lux succedit. Quidam cæcus Regem adire, & visum ab eo percipere monitus, Cubiculario, & ille rem Regi pandit. Cui rex, Veniat, inquit Quis ego sum qui contrister, & non potius exultem, si meis manibus, licet indignis, promissum beneficium homini illi pietas diuina contulerit? Vocatus autem vir, & a Rege tactus & signatus, & inter manus eius ab oculis vtrisque vbertim sanguis effluxit, pupillas serenavit, & tumorem palpebrarum deposuit. Et dixit homo ille: Video te, Domine mi Rex, & facies tua tamquam facies Angeli stantis ante me. Alia autem vice duo cæci,

cum vno monoculo, aqua lotionis manuum Sancti perfusi, visum percipere meruerunt.

Annotata

Id paullo aliter refert Houedenus his verbis: Quadam die contigit, quod cum prædictus Rex Anglorum Eadvvardus, Regina & Comite Haroldo deducentibus, ærarium suum intrauit, vt pecuniam videret magnam, quam Regina & Comes Haroldus, Rege ipso nesciente, collegerant ad opus Regis, (scilicet per singulos Comitatus totius Angliæ de vnaquaque hida terræ quatuor denarios,) vt Rex inde contra Natale Domini pannos emeret ad opus militum, & seruientium suorum. Cumque Rex intrasset ærarium suum, comitantibus Regina & Comite Haroldo, vidit diabolum sedentem super denarios illos, & ait illi Rex: Quid hic facis? Cui dæmon respondit: Custodio hic pecuniam meam. Et dixit ei Rex: Coniuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vt indices mihi quamobrem pecunia ista tua est. Et respondens dixit ei dæmon: Quia iniuste acquisita est de substantia pauperum. Illi autem, qui illum comitabantur, stabant stupefacti, audientes quidem illos loquentes, neminem autem videntes præter solum Regem. Et ait illis Rex: Reddite denarios istos illis a quibus capti sunt. Et fecerunt sicut præcepit illis Rex. Ingulphus de eodem sublato tributo ad an. MLI. sic scribit: Cum terra non daret solita fertilitate fructus suos, sed fame plurimos habitatores deuoraret, in tantum vt bladum carentia, & panis inopia, multa hominum millia morerentur; misericordia motus super populum piissimus Rex Edvvardus, tributum grauissimum, quod Danigeld dicebatur, omni Angliæ in perpetuum relaxauit. Ferunt quidam, Regem sanctissimum, cum dictum Danigeld Cubicularij sui collectum in Regis cameram intulissent, & ad videndum tanti thesauri cumulum ipsum adduxissent, ad primum aspectum exhorruisse, protestantem se

dæmonem super aceruum pecuniæ saltantem, & nimio gaudio exultantem prospexisse. Vnde pristinis possessoribus iussit statim reddere, & de tam fera exactione ne iota vnum voluit retinere: quin in perpetuum remisit, anno scilicet trigesimo octauo, ex quo tempore Regis Ethelredi patris sui Svanus Rex Danorum suo exercitui illud solui singulis annis imperavit.

Hunc Nic. Harpsfeldius Gillemichel vocat. Totum vero miraculum paullo aliter commemorat Rogerius Houedenus his verbis: Quadam die solemni, cum prædictus Rex Anglorum Eadvardus Londoniæ esset coronatus, & regalibus indutus esset indumentis, & versus monasterium ab aula sua stipatus agmine Nobilium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Cleri & populi, progredere, sedit quidam leprosus vlceribus plenus, in via qua Rex transiturus erat: & qui præibant, increpabant eum vt taceret, volentes eum inde remouere. Quibus Rex ait: Sinite eum ibi sedere. Et cum Rex appropinquasset illi, dixit ei leprosus: Coniuro te per Deum vivum, vt portes me in scapulis tuis vsque in ecclesiam. Et statim Rex, demisso capite, præcepit leprosum illum in collo suo poni. Et factum est ita. Cumque Rex procederet, precatus est Dominum, vt ipse sanitatem redderet leproso illi: & exaudita est oratio eius, & leprosus sanus factus est ex hora illa, laudans & benedicens Dominum.

Mortuus est Leofricus an. MLVII. Eius ac Godiuæ coniugis eximium ad sacra loca ornanda studium & liberalitatem celebrant Anglici scriptores.

Hoc miraculum ita narrat VVilhelmus Malmesburiensis: Adolescentula iuxta parilitatem natalium virum habens, sed fructu coniugij carens, luxuriantibus circa collum humoribus, turpem valetudinem contraxerat, glandulis protuberantibus horrenda. Iussa somnio lauaturam Regis exquirere, Curiam ingreditur. Rex

ipse per se opus pietatis adimplens, digitis aqua intinctis collum pertractat mulieris: medicam dextram sanitas festiua prosequitur, lethalis crusta dissoluitur, ita vt vermibus cum sanie profluentibus, omnis ille noxius tumor recederet. Sed quia hiatus vlcerum fœdus & patulus erat, præcepit eam vsque ad integram sanitatem curialibus stipendiis sustentari: verumtamen ante septimanam exactam ita obductis cicatricibus venusta cutis rediit, vt nihil præteriti morbi discerneres: post annum quoque geminam prolem enixa, sanctitatis Edvardi miraculum auxit. Multotiens eum in Normannia hanc pestem sedasse ferunt, qui interius eius vitam nouerunt. Vnde nostro tempore quidam falsam insinuant operam, qui asseuerant istius morbi curationem non ex sanctitate, sed ex Regalis prosapiæ hereditate fluxisse. Harpfeldius tamen testatur, strumosos sanandi admirabilem dotem in posteros suos Angliæ Reges transfudisse S. Eduardum.

Lincolnia vrbs est præcipua Comitatus Lincolniensis in Anglia.

Hoc ita narrat VVilhelmus Malmesburiensis: Et vt perfectam viri virtutem, in hac præsertim potentia, cognoscas, subiiciam quod mireris. VVulvvinus quidam, cognomento Spillicora, filius VVulmari de Nutegareshale, quodam die in Silva Bruelle ligna cædens, dum diuturno post laborem sopori indulsisset, sanguine, vt credo, circa oculos coagulato, visum decem & septem annis amisit: quibus euolutis, somnio edoctus, octoginta & septem ecclesias circumiuit, remedium cæcitatibus a Sanctis efflagitans. Postremo ad Regis Curiam veniens, vestibulum cameræ, aduersantibus Cubiculariis, frustra diu trivit. Sed perstitit improbus pulsator, donec ægre admodum, Rege ipso iubente, admissus est. Audiens quippe somnium, innocue responderat: Per Dominam meam S. Mariam, multum grate feram, si Deus voluerit per me misero misereri. Itaque quamquam nihil de

miraculis auderet, coactus a ministris, cum aqua cæco manum imposuit. Confestim sanguine ex oculis vbertim stillante, clamorem alacrem sanatus produxit: Video te Rex, video te Rex. Ita videns Regali palatio multis temporibus apud VVinlesores (nam ibi curatus fuerat) præfuit, sanatoris annos longæuitate vitæ transcendens. Est VVindsor, siue VVindleshora villa regia amœnissima in Bercheria prouincia, a S. Edvardo donata Abbati VWestmonasteriensi, sed a Guilielmo I. redempta. Describit eam Cambdenus in Attrebatiiis. Isthic Ordo Garterij institutus.

CAPVT VIII.

Godvino socero, eiusque filiis euentura præuidet.

[28] [Futura prædicit.] Sedebat aliquando Rex ad mensam, & a latere eius Comes Godvvinus. Huius duo filij adhuc pueri, Haraldus & Tostius, ludentes coram eis, cum vnus ex illis amarius, quam expetebat ludi suavitas, insurrexisset in alterum, ludum vertunt in pugnam. Et ecce Haraldus vehementius in fratrem irruens, capillis eius vtramque manum inserit, prostratumque, nisi citius eriperetur, virtute superior suffocasset. Tunc Rex versus ad Ducem, ait: Nihil aliud, o Godvvine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum vel pugnam contemplaris? Et ille: Nihil aliud, Domine mi. Tunc Rex dixit: Longe aliud mea mihi mens loquitur, & his quid futurum sit pueris, per hoc mihi bellum reuelatur. Emensis quippe puerilibus annis, cum in virum vterque profecerit, tandem aduersus inuicem liuor vtrumque aduret. Et primum circumuentione insidiisque priuatis quasi ludere videbuntur; ad vltimum fortior infirmiore proscibet, rebellantem prosternet, & prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit. Quæ omnia sic completa, tota Anglia teste, probatur. Nam Tostius ab Haraldo fugatus, cum paullo post in regnum successit Eduardo Haraldus, vna cum Rege Norvvegiæ Tostius prosternitur, & totus fere

exercitus deletur. Eodem anno Haraldus ipse regno spoliatus Anglorum, aut misere occubuit, aut, vt quidam putant, pœnitentiæ tantum seruatus, euasit.

[29] Godvvinus cum in mensa Regi assideret, vnus ministrorum in obicem aliquem vno pede immoderatus impingens, paene lapsum incurrit. [Godvvinus Comes superbus, proditor, periurus, a Deo punitur.] Quem tamen alius recto gressu procedens, iterum in statum suum, nihil iniuriæ passum, erexit. De hoc euentu pluribus inter se loquentibus, & quod pes pedi subuenerit gratulantibus, Comes quasi ludendo intulit: Sic est frater fratrem adiuuans, & alter alteri in necessitate subueniens. Et ait Rex ad Ducem: Hoc meus mihi fecisset, si Godvvinus hoc permisisset. Ad hanc vocem Godvvinus expauit, & tristem præferens vultum, ait: Scio enim Rex, scio: adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec eis æstimas discredendum, qui me vel eius vel tuum vocant proditorem. Sed secretorum omnium conscius Deus iudicet, & sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, & me seruet illæsum, sicut nec tuæ proditiōnis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. Cumque vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille eam ori inferens, vsque in medium gutturis pertraxit. Tentat interius trahere, nec valuit: tentat emittere, sed firmiter hæsit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus, occluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur infeliciter morientem Rex, & vltionem in eum sentiens processisse diuinam, adstantes alloquitur, dicens: Extrahite canem istum. Et factum est ita. Hic Godvvinus simplicitate Regis abutens, multa in regno contra iustitiam & Deum faciebat. Cunctos fere Regis cognatos & amicos, quos de Nortmannia adduxerat, fraude sua, dolo & circumuentione de patria exturbabat, credens sibi cuncta processura pro voto, si Rex amicis nudatus, suis tantum consiliis vteretur. At Rex cuncta dissimulans, diuinis vacabat obsequiis, [Prædixit id

Eduardus.] vltionemque Dei sibi futuram multis prædixit. Aliquando etiam ipsi Godvino idipsum non tacuit.

Annotata

Huius immanissimam crudelitatem commemorat Henricus Huntindoniensis ad annum Eduardi XXII. Traditque illum eo anno in aula Regia apud VVindleshores in Haraldi, vina Regi fundentis, capillos involasse. Caussam odij fuisse, quod licet Tosti senior esset, Haraldum præ eo Rex diligeret. Tum vero perniciem eorum appropinquare, prædixit Eduardus. Duxerat Tosti Iuditham Balduini Insislensis, Flandriæ Comitis, filiam.

XIV. Octob. an. MLXVI. victus occisusque est Haraldus a Guilielmo Notho, Duce Normanniæ.

Houeden ait an. MLIII. secundo die Paschæ, VVintoniæ ad mensam Regi assidentem, improviso morbo percussus, mutum in ipsa sede declinasse: a filiis Haraldo, Tostio, & Girth in Regis cameram deportatum, quint a feria post, XVII. Kal. Maij obiisse. Idem habet VVigorn. Ingulphus Crovlandensis ait buccella suffocatum. Eadmerus mala morte interiisse, vtpote hostem Ecclesiæ Cantuariensis. Ambigue loquitur Malmesbur.

CAPVT IX.

Videt SS. VII. Dormientes moueri: a S. Ioanne Euangelista de obitu monetur.

[30] [Videt in spiritu VII. Dormientes in latus moueri.] In die Dominicæ resurrectionis, cum Rex ad mensam sederet, arctius solito se colligit ad se: & ponens præ oculis Deum, omnia ista mundana arbitrabatur vt stercora. Et ecce subito vultus eius plus solito serenabatur, interiorque lætitia labia soluebat in risum;

rursumque solita gravitate resumpta, obscuriorem faciem præferebat. Mirabantur qui adstabant: nemo tamen audebat eum interrogare quid accidisset. Mensis tandem sublatis, secutus est ad thalamum Regem Dux Haraldus, cum vno Episcopo & Abbate vno: simulque Regem super hoc sermone conveniunt. Tunc ille ait: Quantum se quisque vanis subtraxerit, tantum veris arctius adhærebit. Ecce enim ego inter fecundos calices, & pingua fercula, ac radiantis metalli splendorem, recordatus sum Domini Dei mei, & effudi in me animam meam; dilatatoque mentis sinu oculus interior spirituali perfusus lumine, radios profecto vsque ad illam Ephesiorum civitatem mira celeritate porrexit, & vsque in montem Celion progressus, Sanctorum quidem Septem Dormientium, quiescentium in spelunca, proprietatem vultuum, necnon membrorum quantitatem, ac qualitatem vestium expressione manifestissima contemplatus est. Hæc dum, interiorem risu significante lætitiâ, corde luminoso conspicerem, subito, me cernente, a latere dextro, super quod multis quieverant annis, in sinistrum se latus virtute divina vertentes, dirum mortalibus omen hac laterum suorum mutatione signarunt. Ex hinc enim surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus magni per loca. His enim septuaginta annis (tantum enim tempus in sinistro latere repausabunt) visitabit Dominus iniquitatem plebis suæ, [Inde euentura Ecclesiæ mala vaticinatur.] tradens eos in manus gentium, vt dominantur eis qui oderunt illos. Inimici namque nominis Christi insurgent in Christianos, serui dominis rebellabunt, Reges insidiabuntur Regibus, & Principibus Principes, & in omnibus finibus terræ vltor iniuriæ Christi mucro desæuiet. Et exposuit eis Rex vitam illorum, & nomina, & passionem, & dormitionis modum. Quibus auditis, inito consilio, vt fidem posteris facerent, ad explorandam sermonis veritatem Dux militem, Clericum Pontifex, Abbas monachum cum litteris Regiis ad Imperatorem Constantinopolitanum direxerunt. Qui

omnia vera reperientes, incolumes ad Regem regressi sunt.

[31] [Pius erga S. Ioannem Euangelistam:] Sanctus Eduardus nulli petenti in nomine S. Ioannis Euangelistæ aliquid denegabat: hunc enim post Apostolorum Principem arctius diligebat. Vnde contigit, quod quidam peregrinus, absente Camerario, in nomine S. Ioannis Euāgelistæ importune a Rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum anulum, cum nil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc, [ei in habitu peregrini anulum donat.] duos Anglicos ad adorandum Saluatoris sepulchrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strata declinantes, deuia quæque sectati sunt: & sole ruente nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad ciuitatem reduxit. Susceptis autem hospicio, mensa paratur: lautissimeque refecti, dant membra quieti. Mane autem facto, egressis illis de ciuitate, [Eum Sanctus remittit, & Regem de obitu monet.] ait senex: Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis; quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, & ego, ob amorem Regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Ioannes, qui Regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo anulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui instare diem: quem infra sex menses visitans visitabo, vt mecum sequatur Agnum quocumque ierit. His dictis, disparuit: & illi ad patriam prospere redeuntes, quæ viderant & audierant Regi seriatim retulerunt.

Annotata

Malmesb. ducentis. alij, vt habet Raderus, sexcentis; a tempore scilicet Theodosij iunioris.

Malmesb. septuaginta quatuor. enumeratq; breuiter, quæ iis annis admiranda euenere.

Houeden ait eodem die apparuisse S. Ioannē peregrino; & hunc ipso die peruenisse in Angliam, ac Regi annulum reddidisse: miraculi veritatem ex comitibus eius longo post tempore reuersis cognitam esse.

Hunc annulum testatur Polydorus lib. 8. in templo VWestmonasterij multa veneratione per diu seruatum, quod salutaris esset membris stupentibus, valeretque aduersus comitalem morbum, cum tangeretur ab illis qui eiusmodi tentarentur morbis.

CAPVT X.

Impendentes regno calamitates præuidet ac prædicit.

[32] Cvm autem Rex infirmitate graui detineretur, in mentis raptus excessum biduo fere iacebat exanimis. Tandem quasi de graui somno euigilans aperuit oculos, & resedit, & assumpta parabola ait: [Præuidet calamitates Angliæ imminentes.] Cum adolescens in Nortmannia exularem, grata mihi semper extitit bonorum amicitia: & quicum que sacræ Religionis meliores videbantur, hi mihi ceteris erant familiariores. Inter quos duos monachos speciali quadam mihi deuinxerant caritate conuersationis honestas, vitæ sanctitas, suauitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentius visitabam. Quam dulcia faucibus meis eloquia eorum! Hos ante plurimos annos translatos ad cælum, vidi mihi paullo ante in somnis assistere, quid genti meæ post obitum meum sit futurum, ex Dei mihi mandato referentes.

[33.] [ob peccata præsertim Sacerdotum & Principum.] Impletam dicunt Anglorum nequitiam: & iniquitas consummata iram prouocat, accelerat vindictam.

Sacerdotes præuaricati sunt pactum Domini, polluto pectore & manibus inquinatis sancta contrectant. Et hi non pastores, sed mercenarij, exponunt lupis oves, non protegunt: lac & lanam quærunt, non oves, vt detrusos ad inferos mors & pastores depascat & oves. Sed & Principes terræ infideles, socij furum, prædones patriæ, quibus nec Deus timori est, nec lex honori: quibus veritas oneri, ius contemptui, crudelitas delectationi. Itaque nec Prælati iustitiam, nec seruant subditi disciplinam. Et ecce Dominus gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Ostendet deinceps populo huic iram & indignationem, immissiones insuper per angelos malos, quibus traditi sunt anno vno & die vno, igne simul & gladio puniendi. Ego vero ob intentatam meæ genti calamitatem dolens atque suspirans dixi: O cælestium secretorum conscij, si conuersi egerint pœnitentiam, numquid non ignoscet Deus, & relinquet post se benedictionem? Pœnitentia certe prolata Dei ore in Niniuitas suspendit sententiam: quæ etiam imminentem impiissimo Achab debitam distulit ultionem. [Ion. 2. 10., 3. Reg. 21. 29.] Suadebo igitur genti meæ, vt pœniteant de præteritis, & caueant de futuris: & forte miserebitur Deus, vt non inducat super eos malum hoc grande; sed qui punire præparauit auersos, recipiat in gratiam solita pietate conuersos.

[34] [Nec monitis eius emendandos subditos.] Nequaquam, inquiunt, hoc erit: quoniam induratum est cor populi huius, & excæcati oculi, & aures aggravatæ, vt nec audiant corripientem, nec intelligant commonentem, nec terreantur minis, nec beneficiis prouocentur. His eorum verbis dum mihi maior accresceret sollicitudo, dixi: Num ita in perpetuum irascetur Deus, & non apponet vt complacitior sit adhuc? Quando ergo tot tristibus læta succedent, aut tot aduersa qualis consolatio temperabit? Quale sperandum est in his malis remedium, vt sicut illinc terret & contristat futura correptio, ita hinc aliquantulum

mulceat diuinæ miserationis promissio? [Obscurum signum diuinæ clementiæ erga populum.] Ad hæc Sancti tale mihi problema proponunt. Arbor quælibet viridis a suo trunco decisa, ad trium iugerum spatium a radice propria separetur. Quæ cum nulla hominis manu cogente, nulla vrgente necessitate, ad suum reuersa truncum in antiquam radicem sese receperit, resumptoque succo rursum floruerit, & fructum fecerit, tunc sperandum est aliquod in hac tribulatione solatium, & de ea, quam prædiximus, aduersitate remedium. Hæc cum dixissent, ipsi cælo, vobis ego redditus sum. Assidebant narranti visionem Regina, Robertus sacri palatij custos, Dux Haraldus, & a Stigandus, qui ascendit cubile patris sui, [Impij Stigandi pœna.] & maculauit stratum eius, viuentem adhuc Archiepiscopo Roberto cathedram Cantuariensem inuadens: ob hoc a summo Pontifice suspensus, paullo post crepuit, & effusa sunt viscera eius. Hic ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti: sed potius Regem senio confectum delirare submurmurans, ridere maluit quam lugere. Ceteri vero, quibus mens sanior erat, flebant vbertim & suspirabant, qui nihil secus quam ipse dixerat, aut a Sacerdotibus aut a Principibus fieri non ignorabant.

[35] [Explicatio signi clementiæ Eduardo in visione propositi.] Quidam enim præmissam similitudinem dicunt Regem pro impossibili statuisset, illi maxime, qui totam Anglorum nobilitatem sic deperisse lugebant, vt ex ea gente nec Rex, nec Episcopus, nec Abbas, nec Princeps quilibet vix in Anglia cerneretur. Mihi sane alia mens est, consideranti, sanctissimum virum Dunstanum & ipsam calamitatem prædixisse, & consolationem nihilominus promississe. Potest proinde sic non inconuenienter exponi: Arbor hæc regnum Anglorum significat, decorum gloria, deliciis diuitiisque secundum, excellentia Regiæ dignitatis sublime. Radix, ex qua totus honor iste processit, Regium semen fuit, quod ab Alfredo, qui primus

Anglorum a summo Pontifice vnctus & consecratus fuerat in Regem, recta successionis linea vsque ad S. Eduardum descendit. Abscissa est arbor de trunco, quando regnum a genere regali diuisum, ad aliud semen translatum est. Ad spatium trium iugerum hæc facta est separatio: quia in trium temporibus Regum, nulla fuit nouis cum antiquo semine regali communio. Haraldus enim successit Eduardo, Wilhelmus Haraldo, Wilhelmus iunior priori Wilhelmo. Accessit ad radicem, quando Rex Henricus, in quem totum regni decus transfusum est, nulla necessitate cogente, nulla spe lucri vrgente, sed ex infuso ei amoris affectu, abnepsem Eduardi Mathildam duxit vxorem, semen regium Normannorum & Anglorum coniungens, & interueniente opere coniugali, de duobus vnum faciens. Floruit sane arbor, quando de vtroque semine Imperatrix Mathilda processit. Tunc vero fructum fecit, quando de ipsa Henricus exoriens, quasi lapis angularis vtrumque populum copulauit. Habet nunc certe de genere Anglorum Anglia Regem, habet de eadem gente Episcopos & Abbates, Principes & milites, ex vtriusque seminis coniunctione procreatos. Si autem alicui hæc displicuerit expositio, aut ipse aliter exponat, aut aliud tempus, quo hæc expleantur, expectet.

Annotata

Hic Stigandus, homo ambitiosus & avarus, Roberto Romam profecto, Cantuariensem sedem inuasit: sed sub Guilielmo Rege vitam VVintoniæ in vinculis finiuit.

Ex Abbate Gemmeticensi Londoniensis Episcopus factus est, ac deinde Cantuariensis, vt supra dictum est, Archiepiscopus.

Misit Alexander II. an. MLXX. Legatos in Angliam Hermenfredum Sedunensem Episcopum, & Ioannem ac Petrum Presbyteros Cardinales, qui Concilio VVintoniæ

habito, Stigādum degradarunt. primo, quod Archiepiscopatum Roberto viuento inuasisset: secundo, quod vna VVintoniensem Episcopatum retinisset: tertio, quod a Benedicto Pseudopapa pallium accepisset. Houedenus & Baronius ad eundem annum num. 11. & 12.

Hic quinquennis a patre Ethelvlpho Romam an. DCCCLIV. vt scribit VWestm. (alij citius factum tradunt, Baronius anno sequente) ductus est, vt a Leone IV. moribus & religione institueretur: estque tandem volente patre a Pontifice Rex coronatus. Anno DCCCLXXI. fratri Æthelredo in regnum Occidentalium Saxonum successit, tandemque anno DCCCLXXXVI. Angliæ monarchiam adeptus est, tenuitque vsque ad annum CM.

Obiit VVilhelmus I. an. MLXXXVII. IX. Septembris. VVilhelmus Rufus filius eius iunior XXVII. Septemb. die Dominica, apud VWestmonasterium Rex Angliæ coronatus est a Lanfranco Archiepiscopo Cantuar. Anno vero MC. misere mortuus est, homo sacrilegus.

Henricus I. VVilhelmi II. frater, coronatus est apud VWestmonasterium Rex Angliæ V. Augusti MC. a Mauritio Londinensi Episcopo. Mortuus est an. MCXXXV. II. Decemb.

Matildis filia fuit S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, filia Eduardi Ethelingi, filij Edmundi Ferrei-lateris, fratris S. Eduardi. De ea agemus VII. Augusti.

Matildis vel Matilda Henrici I. & Matildis filia Henrico IV. Imperatori quinquennis desponsata est an. MCVII. Eo mortuo an MCXXV. ad patrem reuersa est, & an. MCXXXVII. nupsit Galfrido Comiti Andegauensi, cui an. MCXXXII. peperit Henricum II.

Henricus Galfridi & Matildæ Imperatricis filius, anno MCLIV. XIV. Kal. Ianuar. Dominica ante natalem Domini, in Regem Angliæ vnctus est VWestmonasterij. Obiit ann. MCLXXXIX. VI. Iulij.

CAPVT XI.

Mortuus illustratur miraculis. Regnat Haraldus.

[36] [Eduardus iubet obitum suum statim propalari.] Sciens itaque Rex, quia appropinquauit hora eius vt transiret de hoc mundo, suum transitum mox in circuitu propalari iussit, ne mortis suæ cognitione dilata, orationum quoque suffragia differrentur. Sicque senex, & plenus dierum ac bonorum operum, migravit ad Dominum. [Moritur.] Obiit autem anno Domini millesimo sexagesimosexto, cum regnasset vigintitribus annis, mensibus sex, & diebus vigintiseptem, pridie Nonas Ianuarij: a cum quo tota pariter Anglorum felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit.

[37] [Ad eius sepulchrum contractus sanatur:] Contractus quidam ad sepulchrum eius veniens, membrorum sanitatem deuotis lacrymis & precibus postulabat. Et ecce vis quædam occulta subito nervos extendit, in naturalem statum crura pedesque retorquet, euulsisque a carne articulis, sanguis profluit, paullatimque succo resumpto, arida prius ossa pristinum robur recipiunt.

[38] [item sex cæci.] Sex quoque cæci, vnum monoculum secuti, ad sepulchrum Regis properantes, cum alter ab altero traheretur, & vnus præcedens oculus, viris septem ducatum præberet, Sancto cum lacrymis miseriam exponunt, opem flagitant, contra diuturnæ caliginis tædium sanctissimi Regis deprecantur auxilium. Nec mora, Beati meritis & precibus visum oculorumque claritatem percipere meruerunt.

[39] [Haraldus occupat regnum.] Interea Haraldus filius Godvini, regnum nec iure nec natura sibi debitum vsurpans, malum, quod Anglis secundum sancti Regis oraculum Dominus præparauerat, transgressione pacti cum duce VVilhelmo & fidei læsione accelerauit. Vt autem attenuatis viribus facilius ab his, quos iniuste prouocauerat, [Bello a Norvvegis & Tostio fratre impetitur.] hostibus vinceretur, suscitauit ei Deus a parte Aquilonis inimicos, scilicet Haraldum Regem Norvvegicæ, & Tostium fratrem suum, quem de Anglia expulerat ipse, quiue tempore Regis Eduardi exulabat in Flandria. Hi cum magna classe per e Humbriam ad Eboracum properantes, cum exercitum Northumbrensiu prælio excepissent, potiti victoria, magnam de obstantibus stragem dederunt. His Haraldo nuntiatis, exercitum copiosum ex omnibus finibus Angliæ collegit.

[40] [Ope S. Eduardi eos vincit.] Apparuit autem tunc S. Eduardus cuidam Alexi, Abbati Rameseicæ, viro religioso, dicens: Vade, & dic Haraldo, vt homines, qui contra ius & fas regni huius fines inuadunt, aggrediatur secure. Ego enim ero dux & protector exercitus, quoniam iustitiæ gentis huius deesse non possum. Per me enim reportabit vice hac de hoste triumphum. Et ne verbis tuis fidem deroget, secretum ei sui cordis ostende, vt cum ei, quæ nullo conscio mente voluebat, edixeris, non hæc tuæ adinventioni, sed meæ promissioni adscribat. Nocte quidem præterita, cum dolore femoris torqueretur, licet eum non parum vrgeret imminens molestia, siluit tamen, reputans apud se, si publicaret languorem, quod suis esset contemptui, & hostibus irrisioni. Verum quia ab illa peste conualuit, de meo præsumens auxilio contra Barbaros iustum bellum suscipiat, & ab imminente periculo suos eripiat. Quod cum Abbas Haraldo reserasset, ex cælesti promissione factus audacior, in valida manu progrediens, apud Stamfordbrig hostibus occurrit: consertoque prælio, dux vterque prosternitur, scilicet Rex

Norvegiæ, & frater Haraldi Tostius, & pæne totus eorum exercitus deletus est.

[41] [Corpus S. Eduardi diu mansit incorruptum.] Anno trigesimosexto post Sancti Eduardi obitum, cum corpus eius de terra eleuaretur, integrum, incorruptum, & flexibile cum vestibus recentibus repertum est. Quod videns Episcopus Roffensis, pilum vnum, deuotionis desiderio accensus, extrahere, sibique seruare conatur: sed ille firmiter hærens, effectum mentis Episcopi & voluntatem defraudauit. Mulier quædam in festo S. Eduardi operibus vacans, paralysis morbo correpta, [Claret miraculis.] ad sepulchrum Sancti deducitur, & sanitatem pristinam se recepisse lætatur. Tres viri febre quartana vexati, visitato Sancti sarcophago, quasi in momento curati sunt.

Annotata

Id pactum cum VVilhelmo inierat Haraldus, & iureiurando ad Sanctorum reliquias firmarat, cum ad eum in Normanniam venisset, vt fratrem suum VVlnothum, & Hacun fratrualem, qui isthic custodiebantur obsides dati a Godvino, quando Eduardo reconciliatus est, reduceret. Narrat id Eadmer. l. 1. Nouor. Gulielmus Pictau. ait ab Eduardo designatum successorem VVilhelmum, de Optimatum consensu, & huius rei caussa datos illos obsides; missum deinde Haraldum, vt pactum firmaret sacramento. Idem refert Ingulphus.

Hic S. Olavi, de quo XXIX. Iulij agemus, frater fuit, cognomento Haarderaade.